

pale vel proximiorē atq; immediatiorem, vel remotiorem vim atque necessitudinem. Enimvero argumenta hic ferè καὶ ἐπαγωγῆς deducuntur. Hæc si animadvertantur, facile etiam in iis dictis, quæ alicubi simpliciter accepta vel absurda vel ἐναντία videri possunt, causæ dicendi, & secundum illas certissima veritas, & concinnissima sententiæ conformitas apparebit. Alioquin & hoc indicium non minimum est rerum vanitatis, quòd ita comparatæ sunt, ut de iis in utramque partem statui & pronuciari possit. quod quidem non fieret, si merè & perpetuò bonæ essent. Sed nunc ad textum accedamus.

TITULUS libri, qui vulgò ECCLESIASTES dicitur, in- CAP. I.
dicat V. I.

A. Genus scripti. *Dibré, λόγοι*, h. e. sententiæ à mente & certis causis verâ ratione deductæ, & in notitiam hominum productæ, in quibus vis ad ducendum auditorem, sive ad persuadendam fidem atque obsequium inest. Conf. infra, 12. v. 11. Prov. 1. 6. ubi per verba sive sermones sapientum contradistinctos *parabolis*, h. e. sententiis vel convenientia, proportione, similitudineq; subnixis, vel alioqui regulam, modulum atq; normam exhibentibus; earumq; duabus speciebus, *interpretationi* h. e. claræ ἀπαγγελίας; atque *enigmati*, sive obscuris significationibus, non sine ingenio, solertia, & docilitate animi percipiendis, nihil commodiùs, quàm conclusiones à certis principiis verâ ratione deductas ad regimen vitæ mortalium pertinentes intelligere possumus. Conf. etiam conjugatum *dibbér* cap. 8. 1. & c. 1. 16. c. 2. 15.

B. Autorem, in cuius designatione subindicatur

I. Causa sermonum. Non enim nominatur autor proprio nomine, Solomoh, sed assumto *Cobéleth*, sive illud proprium sit ad eam formam, quâ est *Pochéreth*, Est. 2. 56. *Alémeth*. 1. Chron. 7. 8. & alia; quando quidem etiam præter genuinum alia nomina, tanquam propria, Solomoni induntur: sive, ob articulum præfixum c. 12. 8. (quanquam & proprium *Hassophéreth* extet. Est. 2. 54.) appellativum, quod instar proprii usurpetur, per ellipsin vocis *népbesch*, q. d. anima vel persona. *Cobéleth* autem est à *Kabál*, congregatione populi, Ἐκκλησία, quod de coetu & συναγωγῆς sanctorum dicitur signanter Prov. 5. 14. Conf. Psal. 1. 5. Et Job. 11. 10. opponuntur *bakhik*

A 2

ad